



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. De Brutiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

NUM. 4. *De Brutis.*

NOMEN & ORIGO. A Græcis plerisque Br̄tt̄p̄oi nomi-
nantur, apud Dionysium Br̄tt̄p̄oi, Ptoleimæo Br̄tt̄p̄oi: sic dicti ait
Strabo lib. 6. linguâ Samniticâ quasi defectores, seu desertores, quia
cùm essent pastores Lucanorum, indulgentiâ dominorum abusi, ab
iis defecere adiuti à Dione qui contra Dionysium Tyrannum de-
pugnabat. Diodorus tamen lib. 16. sic dictos mauult quasi fugiti-
nos: nam Lucanorum lingua Brettios sonat seruos fugitivos; notát-
que in hanc Italæ partem multos illius farinæ homines conflu-
xisse, primò prædatoriam egisse vitam, postea iustis præliis cum
indigenis dimicasse, & plerasque vrbes cepisse, sicque Rempu-
blicam suam constituisse. Stephanus tamen, & Eustathius à Bret-
to Herculis filio dictos esse volunt. Iustinus à Brutia quâdam fæ-
minâ, quæ rebellibus seruis castellum prodidit, vbi postea nouam
vrbem condidere, & gratiæ memores se de eius nomine Brutios
dixerunt: finitimos armis subegisse, Alexandrum Epirotarum Re-
gem qui venerat in auxilium Græcorum penitus deleuisse, atque
confecisse, sic lib. 23. Iornandes in Gothicis hanc mulierem Re-
ginam appellat, parum probabiliter.

Dicitur aliter PENINSULA BRUTIORVM, immo & do-
ctorum iudicio RHEGINORVM, in quâ Crassus inclusit Sparta-
cum fossâ 37. mil. pass. cum 50. pass. latâ & altâ 15. pedes. Errant
enim qui id factum putant ad Scyllæum scopulum, quoniam is
locus capere urbem non potest, nedum 60. hominum millia quæ
sub signis habebat Spartacus. Dicitur & apud Florum, qui id
enarrat, angulus Brutius, & Brutius ager; neque obest quod Plu-
tarachus in Crasso dicat, hîc Spartacum nihil inuenire potuisse,
nam hîc grassationes suas diu exercuerat: & verò cùm inde exiit
statim dicitur ad Flumen Salsum peruenisse apud Plutarchum, at is
fluuius statim in Lucaniâ occurrit. Quomodo autem ad Anniba-
lem defecerint, quomodo à Romanis multati sint, alij excutiant
quibus est plus otij.

FINES Brutiorum. A Septentrione Laô & Sibari Fl. à Lucanis
dispescuntur: ab Occidente lauantur Tyrrheno Mari, & fretu Sici-
culo: à Meridie, & Oriente mari Ausonio, seu Siculo verberan-
tur.

PARALL. GEogr. Tom. II.

MMmm